poteſt quælibet natura creata, ut artic. præcedenti demonſtratum eſt, ergo poteſt terminare dependentiam oppoſitam, tali independentiæ, ut in ſimili argutum eſt de poſſibilitate Incarnationis; ſed natura humana eſt dependens dependentia oppoſita, quia potentiã habet obedientialem ad communicari, & ſuſtentari in ſuppoſito alieno; ergo &c. Confirmatur, quia ſicut dependentia humanitatis poteſt totaliter, & ultimatè terminari à ſubſiſtentia relativa Verbi, itaut per eam reddatur incommunicabilis ſimpliciter, & omninò; ita terminari poterit à ſubſiſtentia abſoluta divinæ eſſentiæ, itaut per eam reddatur incommunicabilis ſecundum quid, adeoquod non poſſit exiſtere, quamdiù eſt illi unita, in alio ſuppoſito à parte rei actualiter diſtincto; & ſicut in Deo prius ratione concipimus reperiri ſubſiſtentiam aliquam, & incommunicabilitatem in eſſentia abſoluta, ac deindè advenire ſubſiſtentias perſonales cum incommunicabilitate ſimpliciter; itaquoque intelligere facilè poſſumus naturam creatam aſſumi eodem modo ad ſubſiſtendum, ut nempè per talem aſſumptionem ipſa quoque reddatur incommunicabilis ſecundum quid; nempè ſuppoſito alieno realiter diſtincto, & quod ſicut ipſa eſſentia ſuis ſubſiſtentiis perſonalibus intrinſecè terminatur, & omninò incommunicabilis redditur, hoc ipſo quoque humanitas illa aſſumpta iiſdem ſubſiſtentiis perſonalibus ultimò compleatur, & terminetur, ac omninò incommunicabilis reddatur.

318 Ex qua doctrina facilè declaratur, quę & qualis eſſet iſta unio, in quo puncto conſiſtit tota huius quæſtionis difficultas, licet enim non eſſet unio hypoſtatica, qualis eſt unio modò facta in Verbo, quia non eſſet unio duarum naturarum in vna, eademque perſona, de ratione ſiquidem unionis hypoſtaticæ eſt, quod terminus eius immediatus, & proximus ſit hypoſtaſis & ſuppoſitum eſſet tamen unio valdè ei ſimilis, licet enim non eſſet unio ad aliquod incommunicabile ſimpliciter, & omninò; ſicut eſt unio hypoſtatica, eſſet tamen unio ad aliquod incommunicabile ſecundum quid modo jam explicato; undè humanitas aſſumpta ab ipſa eſſentia haberet aliquam incommunicabilitatem, nempè reſpectu omnis ſuppoſiti ab eadem divina natura diſtincti, quæ incommunicabilitas per ſe convenit ipſi divinæ naturæ, quamvis natura creata non niſi per ſubſiſtentiam perſonalem à ſe diſtinctam terminetur. Deindè etiam ex alio capita ſimilis eſſet hæc unio unioni hypoſtaticæ, quia adhuc per unionem dictam naturæ humanæ cum divina conſtitueretur unum unitate perſonæ, non quidem cum eſſentia divina præciſè ſumpta, nec cum omnibus perſonis collectivè ſumptis, ſed cùm ſingulis perſonis, quibus nempè natura creata mediante ſubſiſtentia abſoluta conjungeretur, ſiquidem non poteſt natura creata uniri ſubſiſtentiæ divinæ abſque eo, quod ſimul terminetur ſubſiſtentiis perſonalibus, cùm ob perfectam identitatem naturæ divinæ cum illis, tùm quia non poteſt formaliter à natura creata excludi tota ratio propriæ ſubſiſtentiæ, niſi adveniat tota ratio ſubſiſtentiæ alienæ, qua ſuppleatur tota naturæ indigentia; ex qua ſanè doctrina ſolvuntur omnes difficultates, quæ contrà noſtram ſententiam obiici poſſunt.

319 In oppoſitum Primò obiiciunt, quod apud Concilia, & Patres non alia vnio nominatur, quam vel in natura, vel in perſona, hoc eſt, vel ad conſtituendam unam naturam, vel unam perſonam; ſed unio naturæ creatæ cum natura divina non poteſt fieri in unitatem perſonæ, quia ipſa non eſt perſona, neque fieret in unitatem naturæ, quia ex natura divina, & humana nequit una natura conſtitui. ergo &c. Confir. quia ratio unionis ſubſtantialis debet omninò ordinari ad conſtituendum unum ſubſtantiale, & unum ſubſtantiale vel eſt unum in natura, vel unum in perſona, ſed natura creata cùm natura divina nec poteſt conſtituere unum in natura, nec unum in perſona, ergò nequit cum ea ſubſtantialiter uniri.

Reſpondeo, utrumque poſſe concedi, quod, ſcilicet, fieret unio in natura, ac etiam in perſona, ſi ſano modo intelligatur; fieret in perſona, vel in unitatem perſonæ, non quidem immediatè, ſed mediatè, quatenus humanitas mediàte eſſentia, & ſubſiſtentia abſoluta Dei conſtitueret perſonam cum ſingulis ſubſiſtentiis perſonalibus divinis modo iam explicato; poteſt etiam concedi quod fieret in natura, non quidem in eo ſenſu, quod conſtitueretur per identitatem, vel compoſitionem una tertia natura, ſed terminativè, quatenus, ſcilicet, unio eſſet immediatè ad naturam terminata, in quo ſenſu potius dici deberet humanitatem aſſumi ad unionem cum natura, vel ad naturam; quàm in unitate naturæ, quia illa propoſitio ſignificat ex vi conſtructionis naturam eſſe terminum unionis, iſta verò ſignificat unitatem identitatis naturæ ad naturam, vel compoſitionem ex natura, & natura, ut explicat Doctor *3. diſt. 1. q. 2.* in calcè *§. ſed contrà*. Ad Confirmationem ſimiliter dicendum eſt, quod per prædictam unionem naturæ humanæ cum divina conſtitueretur unum in perſona, non immediatè, ſed mediatè modo iam explicato.

320 Secundò obiiciunt, quia non poteſt aſſumi natura creata cum propria ſubſiſtentia, at unio humanitatis ad naturam divinam immediatè non excluderet propriam ſubſiſtentiam eiuſdem naturæ; ergo talis unio eſt impoſſibilis; Maior patet, probatur minor, quia ſubſiſtentia propria naturæ humanæ eſt ultimus terminus, & eſt perſonalis; ergo non excluditur, niſi ſubſiſtentia ultima, & perſonali. Conf. quia ſi unio ad naturam immediata excluderet propriam humanitatis ſubſiſtentiam, tunc careret humanitas omni perſonalitate, tam propria, quàm aliena, quod eſt impoſibile; careret quidem propria, ut ſupponitur; careret etiam aliena, quia natura divina, ut ſic, non eſt perſona, atque ideò naturam creatam perſonare non poteſt.

Reſpondetur negando minorem, quia cùm ſubſiſtentia creata ex ſua natura omnem excludat actualem communicationem, conſequenter incompoſſibilis eſſet cum iſta unione; tùm quia ſi non immediatè, ſaltem mediatè communicaretur ſubſiſtentiæ perſonali, & incommunicabili; quarè argumentum probat ad ſummum non poſſe humanitatem ſubſiſtentiæ divinæ abſolutæ uniri, quin ſimul terminetur ſubſiſtentiis perſonalibus, quia formaliter tota ratio propriæ ſubſiſtentiæ creatæ excludi non poteſt, niſi tota ratio ſubſiſtentiæ alienæ adveniat, qua tota naturæ indigentia ſuppleatur. Ad Conf. negatur conſequentia, quoad ſecundam partem, hæc enim unio, qua Deus abſolutè ſumptus humanam naturam immediatè aſſumeret, eo modo fieret, ut diximus, quod natura creatam, mediante ſubſiſtentia abſoluta divinę naturę, terminaretur etiam, ac ultimò compleretur ſubſiſtentiis perſonalibus.

321 Tertiò, obiiciunt Anſelmum lib. de Incarnatione Verbi *cap. 4.* contra quendam Hæreticum arguentem, qui dicebat incarnata una perſona, alias quoque neceſſariò incarnari ob unitatem eſſentiæ, & eius identitatem cum perſonis; arguebat, inquam, Anſelmus, quod ille ſentiret ſic dicendo incarnationem factam eſſe, non in perſona divina, ſed in natura ad conſtituendam unam naturam; quarè iuxtà mentem Anſelmi non poterat eſſe alia unio cum Deo, niſi vel cum perſonalitate divina ad unitatem perſonæ, vel cum natura ad unitatem naturæ; nec putavit poſſibilem eſſe unionem intercedentem immediatè cum natura divina, qua omnes tres perſonæ eſſent incarnatæ. Reſp. quicquid dicant alii, imò Anſelmum ibi nobis expreſsè favere, nam ut ſequatur incommodum, quod Hæreticus ille deducebat, nempè ex Incarnatione Verbi Patrem, & Spiritum S. fuiſſe incarnatos, dicit id ſecuturum, ſi aſſumptio humanitatis facta fuiſſet in unitate naturæ, hoc eſt, per unionem immediatam humanitatis ad divinam naturam; ac ità neceſſariò debet intelligi Anſelmus, non autem in unitate naturæ, hoc eſt, ad conſtituendam unam naturam, quia hoc non refutat, ut impoſſibile, inquit enim *ſi hęc non opinaretur, ſcilicet, unionem fuiſſe factam in natura*. deducit ergo ex unione humanitatis ſic facta in natura; tunc ſecuturum Patrem cum Filio fuiſſe incarnatum non autem deducit eſſe impoſſibile, quod in unitate naturæ facta ſit Incarnatio, hoc eſt, ad conſtituendam unam naturam; Quarè ſenſus Anſelmi eſt, ſecuturum id, quod inferebat Hęreticus ille, ſi unio facta eſſet immediatè ad naturam, quia cum ſubſiſtentiæ perſonales ſint realiter identificatæ cum natura divina, intelligi non poteſt unio naturæ creatæ terminari ad divinam naturam, quin hoc ipſo terminetur etiam ad perſonalitates mediante ipſa natura divina; quod adamuſſim eſt id, quod hic nos aſſerimus.

322 Quartò obiiciunt; Vel in Deo non datur ſubſiſtentia abſoluta conveniens eſſentiæ divinę, ut à perſonis præciſæ; vel ſi datur, non eſſet formaliter aliud, quam per ſe exiſtentia naturæ divinæ; at nequit fieri unio in natura abſque ſubſiſtentia, nec ulla exiſtentia poteſt terminare naturam indigentem complemento intrinſeco ad ſubſiſtendum; ergo non poteſt dari unio naturæ creatæ immediata cum natura divina.

Reſp. Amicus non repugnare naturam divinam immediatè terminare ſubſtantialem unionem naturæ creatæ ad ſe, etiamſi nullam habeat ſubſiſtentiam abſolutam à relativis diſtinctam; quoniam natura creata exigit ſubſiſtentiam, non tantum, ut per eam fiat incommunicabilis; ſed primariò, & principaliter, ut per eam poſitivè compleatur in ratione exiſtendi, quia cùm reliquas perfectiones ad ſubſtantialem naturam requiſitas habeat natura ex ſe, non ſupereſt in quo alio poſſit à ſubſiſtentia perfici, & compleri, quàm in ratione exiſtendi, & hunc dicit eſſe effectum poſitivum ſubſiſtentiæ, & primariò à natura intentum; incommunicabilitas verò eſt effectus purè negativus, cùm formaliter dicat negationem communicabilitatis; quem poſitivum ſubſiſtẽtiæ effectum complendi, & perficiendi naturam alii ità explicant ut ſubſiſtentia comparetur naturæ, velut perficiens, & ſuſtentans eam in eſſe, & quaſi manutenens, & faciens, ne ruat. Hanc ergò naturæ creatæ indigentiam ſupplere poteſt natura divina per propriam exiſentiam, cum nullam imperfectionem, & inſufficientiam habeat in eſsendo, etiamſi nullam habeat ſubſiſtentiam abſolutam; Quam doctrinam etiam Rada recipere videtur *controu. 2. cit. 2. notab. 3.* dum ait ad aſſumptionem terminandam ſufficere in aſſumente per ſe exiſtentiam, etſi illa non ſit incommunicabilis; quia aſſumptum ſolùm indiget

get ſubſtentante, at per ſe exiſtens, & ſubſiſtens ità bene poteſt ſuſtentare naturam, ſi ſit communicabile, ac ſi omnino incommunicabile eſſet; non enim illa incommunicabilitas ad hujuſmodi ſuſtentationem, & terminationem per ſe requiſita videtur.

323 Verum, ut dictum eſt *diſp. 11. met. q. 3.* & ſuprà *n. 273.* & 274. & 310. hęc doctrina de indigentia naturæ ſubſtantialis ad ſubſiſtendum non placet, quia ſi indigentia naturæ ſubſtantialis talis eſſet, ut ſubſiſtentia comparetur illi, ut eam ſuſtentans in eſſe, & quaſi manutenens, & faciens, ne ruat, exiſtentia naturæ ſubſtantialis in nihilo differret ab exiſtentia accidentis, quod ſimili indiget fulcro, & ſuſtentaculo; ideoque dicebamus dependentiam naturæ creatæ à ſuppoſito non eſſe veram, & propriam ſuſtentationem à priori, nulla ſiquidem eſt neceſſitas in natura ſubſtantiali ſingulari, ut petat in alio exiſtere, ut ſuſtentante, & fulciente, ne ruat; ſed importare tantummodò dependentiam, quam habet natura ad communicari proprio ſuppoſito, vel alieno, itaut ſit illi ratio eſſendi tale; Qua etiam ratione dicebamus *diſ. 11. me. n. 46.* formalem ſubſiſtentiæ effectum eſſe negativum, non poſitivum, & propriè eſſe incommunicabilitatem ſuppoſitalem, ſeù eſſe incommunicabile, ut natura ſuppoſito; & cum dicitur natura perfici, & compleri per propriam ſubſiſtentiam, id intelligendum eſſe modo quodam negativo, quatenus nempè negatio per ipſam ſubſiſtentiam importata excludit à natura dependentiam à quolibet ſuppoſito extrinſeco, dùm per talem negationẽ in ſe ſiſtere dicitur, nec ulterius tendere ad alienum ſuppoſitum. Itaque ad argumentum dicendum eſt, dari in Deo ſubſiſtentiam abſolutam, quæ etiam ad evitandam de nomine contentionẽ poteſt appellari per ſe exiſtentia, quæ tamen aliquid plus importet, quam naturæ creatæ exiſtentia illam nempè incommunicabilitatem ad ſuppoſitum realiter diſtinctum, qua caret natura creata; & ratione hujus per ſe exiſtentiæ benè poteſt natura creata uniri divinæ, & ab ea aliquatenus compleri, ac terminari quantum ad ſuam indigentiam ad ſubſiſtendum, recipiendo nimirum ab ea incommunicabilitatem reſpectu omnis ſuppoſiti ab eadem natura divina diſtincti, quæ incommunicabilitas per ſe convenit divinæ naturæ non verò creatæ.

324 Quintò arguunt, quia admiſſa quoque ſubſiſtentia abſoluta divinæ naturæ, hæc nequit eſſe terminus unionis ſubſtantialis alicujus naturæ creatæ, quod enim eſt communicabile, & terminabile non poteſt eſſe terminus, nam ratio termini eſt ratio ultimi finis ſubſtantialis, quo abſolvitur, & completur progreſſus conſtitutionis ſubſtantialis; Vndè quia in latitudine ſubſtantiali non completur, nec finitur, aut terminatur Deus per ſubſiſtentiam abſolutam, ſed potius per illam exigit ulterius progredi in alio genere entis ſubſtantialis, ideò nequit habere ſubſiſtentia abſoluta rationem termini, ità arguit Orlandus *diſp. 6. q.* Confirmatur, quia nulla perfectio Dei abſoluta poteſt uniri ſubſtantialiter creaturæ, ſeù ei communicari; quod ſi hæc ſubſiſtentia poſſet, profectò omnes perfectiones Dei abſolutæ poſſent naturam creatam terminare, & creaturæ communicari; cùm omnes ſint ęquè perfectè, & non ſit maior ratio unius, quàm alterius, ità arguit Caſpenſis *tract. 20. diſp. 3. qu. 3.* quam cenſet rationem omnium validiorem.

325 Reſpondo, per hoc probari ſolum, quod ſubſiſtentia abſoluta divinæ naturæ nequeat eſſe terminus finalis, & ultimatus unionis ſubſtantialis naturæ creatæ, quia hęc eſt finaliter ad ſubſiſtendum incommunicabiliter, & omninò in proprio ſuppoſito, vel alieno; cum quo benè ſtat, quod ſaltem poſſit eſſe illius unionis terminus proximus, & non ultimus, cùm habeat aliqualem incommunicabilitatem, nempè reſpectu omnis ſuppoſiti ab ea diſtincti, ad quam incommunicabilitatem poteſt naturam creatam trahere; quarè argumentum probat ad ſummum non poſſe naturam creatam uniri ſubſiſtentiæ divinæ abſolutæ, quin ſimul cum ipſa terminetur ſubſiſtentiis perſonalibus, ut terminis finalibus, & ultimatis ad omninò incommunicabiliter ſubſiſtendũ. Ad Conf. negatur paritas de ſubſiſtentia, & aliis divinis attributis, quia ſapientia, bonitas, & alia attributa eſſe nequeunt in creaturis, niſi ſecundum quandam rationem formæ, & ideò implicat creaturam eſſe ſapientem ſapientia divina, niſi ſecundum idiomatum communicationem; at ſubſiſtentia divina ſine ulla ratione formæ poteſt terminare ea ratione, qua incommunicabilis eſt, communicabilitatem, vel communicationem naturæ creatæ; relativa quidem per modum termini ultimi, & finalis; abſoluta vero per modum termini non ultimi.

326 Poſtremò obiiciunt quidam Scotiſtæ, Scotum in hac re fuiſſe ancipitem, nam in *3. diſt. 5. qu. 1.* ait, quod ſi incommunicabilitas requiritur in termino unionis, natura divina non poteſt terminare; ſi non requiritur, ſed ſufficit per ſe ſingulare, & per ſe exiſtens, poſſet terminare. Reſpondeo negando aſſumptum, quia *3. diſt. 1. qu. 2. B.* inclinat in partem affirmantem quod illa incommunicabilitas non ſit per ſe requiſita in terminante; Vel ſi requiritur, dicendum ſufficere incommunicabilitatem ſecundum quid jam explicatam, qua non caret ſubſiſtentia abſoluta divinæ eſſentiæ.

DISPVTATIO SECVNDA
DE GRATIA, ET SANCTITATE CHRISTI,
Et aliis ejus perfectionibus.

QUÆSTIO PRIMA.

An gratia habitualis fuerit neceſſaria in Chriſto ad effectum ſanctificationis.

1 PATENTUR omnes Theologi in Chriſto eſſe gratiam habitualem, ut colligitur ex verbis illis Jo. 1. *vidimus gloriam ejus*, &c. *plenum gratia, & veritatis*. Fatentur pariter omnes ſecundum humanitatem fuiſſe à primo ſuæ conceptionis inſtanti Deo gratum, ſanctum, juſtum, & innocentem, ut conſtat ex Scripturis Matth. tertio. *Hic eſt filius meus dilectus*, &c. & Lucæ 1. *Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei*, & Hæbr. 7. *talis enim dicebat, ut nobis eſſe Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus*. Controvertitur itaque an fuerit ſanctus per ſolam gratiam habitualem, an etiam ratione unionis cum Verbo; ſeù quod idem eſt, an humanitas Chriſti ſit ſancta, & gratia Deo ex vi unionis hypoſtaticæ, itaut talis eſſet etiam ſine gratia habituali.

2 Prima, & communiſſima ſententia in Schola Thomiſtarum, ac Recentiorum eſt per unionem ad Verbum ità ſanctificari humanitatem Chriſti, ut ad hunc effectum præſtandum non indigeat gratia habituali, aut aliqua alia forma creata; licet poſteà diſputent, quænam propriè ſit, ac dici debeat forma ſanctificans in hoc ordine ſanctitatis increatæ, quæ in genere cauſæ formalis conſtituat Chriſtum hoc modo ſanctum; nùm divina ipſa natura, vel perſonalitas Verbi, vel modus ipſe unionis Addunt nihilominus præter ſanctitatem increatam unionis hypoſtaticæ, ſanctificatam præterea fuiſſe animam Chriſti ſanctitate creata per gratiam habitualem quia maximè decens eſt in anima Chriſti fuiſſe omnem ſanctitatem, & omnem modum ſanctitatis poſſibilis; quarè quamvis per unionem ad Verbum fuerit humanitas Chriſti ſanctificata ſanctitate increata ſubſtantiali, & infinita; quia tamen per illam non ſanctificabatur ut forma creata accidentali, finita, & inhærente, oportuit etiam ut gratia habituali ulterius ſanctificaretur, & ſic haberet conſumatam perfectionem etiam extenſivam ſanctitatis. Adeo quod Chriſtus ſecundum humanitatem duobus modis fuit ſanctus, & Deo gratus, primò per gratiam unionis, & rurſus per gratiam habitualem, cum hoc diſcrimine, quod prior ſanctitas dicitur ſubſtantialis, & increata; poſterior verò accidentalis, & creata; ità Suarez, Vaſquez, Hurtado, Valentia, Raguſa, Lorca, Granado, Caſpenſis, Averſa, Beccanus, Amicus, Bonacina, Arriaga, Morandus, Baldius, Orlandus, Card. de Lugo, ac univerſa denique Recentiorum Schola.

3 Alia ſententia affirmat gratiam habitualem fuiſſe Chriſto neceſſariam, ut humanitas illius ſanctificaretur, tùm quia eſſe ſanctum, & gratum Deo eſt effectus formalis gratiæ habitualis; tùm quia per ſolam unionem ad Verbum, ſecluſa gratia, ſancta non eſſet, cùm nec divinitas, nec Verbi perſonalitas poſſit eſſe cauſa formalis ſanctificans animam, quia non poteſt eſſe actus rei creatæ, forma autem ſanctificans formaliter inhærere debet formaliter naturæ ſanctificatæ; pro qua ſententia citantur Alenſis, D. Bonavent. Riccardus, Marſilius, Durandus, Paludanus, ac etiam noſter Scotus, quam proindè ſolent etiam ſequi Scotiſtæ, Faber in *3. diſ. 28.* Aretinus *3. diſt. 13. qu. 1. a. 1.* Rada *3. p. con. 4.* Bellutus *diſp. 10. qu. 1.* Gallus ibidem *prælud. un. diſp. 1. ſect. 2.*

ſect.2. Centinus *diſp.* 11. *c.* 1. & alii paſſim. Verùm quia mens Scoti in hoc puncto ſatis aperta non eſt, ut fatetur etiam Gallus *loc. cit.* non deſunt Scotiſtæ, qui aliquo modo primæ ſententiæ faveant, ità Poncius *diſp.* 37. *q.* 2. *concl.* 3. ubi inquit, quod etiamſi Chriſtus non haberet gratiam ſanctificantem, adhuc ex vi unionis eſſet magis ſanctus, juſtus, & dignus vita æterna, quàm alii homines juſti ſint ratione gratiæ habitualis; Et Vulpes *tom.* 2. *part.* 4. *diſp.* 27 *art.* 3. ait habitualem gratiam fuiſſe neceſſariam regulariter ſubiectivè in voluntate hominis aſſumpti ſub ratione ſanctificantis, juſtificantis, & gratum facientis, ſaltem in genere accidentis, ſuppoſita gratia unionis ſub ratione formæ quoque ſanctificantis, & gratum facientis in genere ſubſtantiæ, quæ eſt ipſiſſima prioris ſententiæ doctrina.

ARTICULUS PRIMUS.

Quæſtionis Reſolutio.

4 PRo reſolutione quæſiti advertendum eſt cum Rada 3. *p. controv.* 4. *art.* 3. *not.* 2. Chriſtum Dominum dici poſſe Deo gratum, & dilectum triplici gratitudine, & dilectione; Prima eſt neceſſaria, ſubſtantialis, & prorſus infinita, quæ Chriſti perſonam, ut primum, & ultimum terminum per ſe primò reſpicit, & eſt dilectio, & gratitudo illa, qua æternus Pater Chriſtum, ut naturalem, & unigenitum Filium diligit; eadem enim dilectione neceſſaria, ac naturali, & omninò infinita, qua ſeipſum Pater diligit, diligit & Filium ob unitatem divinæ naturæ, quam cum ipſo habet; hoc igitur modo dicitur Chriſtus infinitè gratus Deo, quia infinitè dilectus dilectione infinita, qua quælibet ex divinis perſonis diligitur, & omnes ſimul. Secunda eſt ſubſtantialis, ac infinita, ad aliquid tamen finitum, ac limitatum terminata, ſcilicet, ad humanam Chriſti naturam, qua ex parte illa dilectio, & gratitudo libera eſt, & non neceſſaria, quia non neceſſariò, ſed merè liberè eſſe perſonale Verbi voluit humanitati aſſumptæ, qua etiam ratione Sanctitas Chriſti dici debet finita, quia licet ſanctitas Verbi communicata humanitati aſſumptæ ſit infinita, tamen communicatur finito modo juxtà capacitatem naturæ, cui communicatur, ut notat Lugo *diſp.* 16. *ſect.* 3. Paſqualig. *diſp.* 86. *ſect.* 3. contra Lorcam, Hurtadum, & alios ſanctitatem naturæ aſſumptæ appellantes, ex hoc capite infinitam; & hæc eſt ea ſanctitas, & gratitudo, quæ ad unionis gratiam ſpectat, quia Deus voluit humanitatis infinitum, & ſubſtantiale bonum, ſcilicet, eſſe perſonale divini Verbi communicare; & quia hæc cõmunicatio perſonalis fuit, non autem formalis, ſeù per modum formæ; non enim divinitas, vel Verbi perſonalitas communicata eſt humanitati per modum formæ; adeò hæc gratitudo perſonalis dicitur, etſi ad naturam, cui facta fuit gratia terminetur; & hac gratitudine, & ſanctitate perſonali Chriſtus dicitur ſanctus, & gratus ex vi unionis hypoſtaticæ, ſiquidem eſſe perſonale divinum ſanctiſſimum, & Deo gratiſſimum virtute hujuſmodi unionis naturæ aſſumptæ communicatum eſt; Unde cùm aſſerimus Chriſtum ex vi unionis hypoſtaticæ ſanctum eſſe, & Deo gratum ſanctitate, & gratitudine perſonali, non intendimus ipſam Chriſti perſonam eſſe ſanctam, & Deo gratam, id enim habet perſona Verbi ex vi ſuæ generationis æternæ; ſed loquimur de Chriſto, ut cum perſonalitate Verbi etiam naturam includit humanam, & aſſirmamus illam ſanctitatem perſonæ divinæ ex vi unionis hypoſtaticæ humanitati communicatam eſſe, non accidentaria, ſed ſubſtantiali communicatione, quia Verbi divini eſſe perſonale humanitati communicatum eſt, quo verè ſubſiſtit; in quo gratia unionis formaliter conſiſtit.

5 Tertia deniq; ſanctitas, & gratitudo eſt accidentaria, & participata quæ, humanitati Chriſti convenit per gratiam habitualé, qua concors, & particeps divinæ efficitur naturæ, & conſiſtit in communicatione hujuſmodi formæ ſupernaturalis accidentalis perficientis, & elevantis animam Chriſti; quæ quidem ſanctitas, & gratitudo partim convenit cum ſecunda, & partim differt (ut notat Rada ibidem) convenit quidem, quia utraque eſt effectus liberalis, & gratuitæ dilectionis Dei; differt verò tripliciter, primò quidem, quia illa eſt ſubſtantialis; hæc verò accidentalis; bonum enim gratuitò collatum humanitati in illa eſt ipſamet ſubſtantiali divini Verbi perſonalitas; hæc verò conſiſtit in communicatione divinæ naturæ per formam accidentalem, qua ſubiectum ſit divinæ naturæ particeps. Secundò quia illa eſt perſonalis, quia bonum humanitati per ſe primò collatum eſt tantùm Verbi perſonalitas, & per modum termini duntaxat ipſi unita; hæc verò eſt formalis per modum formæ actuantis, & elevantis naturam Chriſti humanam ad divinæ naturæ participationem. Tertiò tandem differt, quod illa ſanctitas, & gratitudo ex ſua ratione formali non reddit naturam gratam, & acceptam Deo in ordine ad ſupernaturalia bona, quia ſolùm conſiſtit in eo, quod Deus voluit humanitati eſſe perſonale divini Verbi, quod quidẽ beneficium in omnium ferè ſententia etiam naturę irrationali conferre potuit, quæ tamen aliorum bonorum ſupernaturalium non eſt capax; undè & Adverſarii quoque ipſi fatentur effectum primarium unionis hypoſtaticæ eſſe tantùm dare eſſe ſubſiſtens; ſanctificare verò naturam aſſumptam eſſe effectum duntaxat ſecundarium, & conſequenter à Deo impedibilem; Hæc autem conſtituit animam in quodam eſſe ſupernaturali formali, eamque gratam, & acceptam Deo reddit in ordine ad ſupernaturalia bona, & per ipſam eſt paternorum bonorum hæres, Deique amica, & ab ipſo dilecta.

Quarè cum Sancti Patres interdum dicunt per unionem hypoſtaticam naturam aſſumptam fuiſſe ſanctificatam, vel intelligendi ſunt de ſanctitate ſubſtantiali ſecundo modo ſumpta; vel ſi loquuntur de ſanctitate etiam in ordine ad beatitudinem intelligendi ſunt nòn in ſenſu formali, ſed cauſali, & diſpoſitivo, illa enim ſaltem de congruo fuit cauſa, & diſpoſitio ad ſanctitaté animæ, & gratiam, ut colligit Doctor 3. *diſt.* 2. *q.* 2. G. ex illo Jo. 1. *vidimus gloriam ejus, quaſi unigeniti à Patre plenum gratia*, ubi videtur dicere, quod Chriſtum eſſe unigenitum Patris ſit proxima ratio congruentiæ, quarè ipſe habeat plenitudinem gratiæ. Et multò magis in eodem ſenſu accipiendi ſunt, ſi interdum dicunt per divinitatem ipſam, vel Verbi perſonalitatem ſanctificatam eſſe naturá, cùm nec divinitas, nec divina perſonalitas ullatenus forma ſanctificans eſſe poſſit: Vnio ergò hypoſtatica ex ſua ratione formali, & intrinſeca non habet naturam aſſumptam ſanctificare & Deo gratiam, atque ad ſupernaturale bonum acceptam reddere, ſed ſolùm eam divino ſuppoſito formaliter conjungere, ex qua conjunctione in eadem perſona utriuſque naturæ idiomatum communicatio accidit, quam totam doctrinam fatentur Adverſarii caſu, quo Verbum naturam irrationalem aſſumpſiſſet. 6

Adhuc tamen quæſtio eſt, quam connexionem habeat gratia habitualis cum unione hypoſtatica, & in quo neceſſitatis gradu, quidem quæſtio eſt de facto, & de potentia ordinaria, nam de & potentia abſoluta, ſeù abſolutè loquendo certum eſt, non habere neceſſariam, & indiſpenſabilem connexionem, quia Verbum potuit uniri naturæ irrationali gratiæ incapaci, & rurſus in ſubiecto capaci poteſt à Deo talis neceſſaria connexio abſolutè loquẽdo tolli, & impediri, ſiquidem, ut diximus, ſanctificare, & gratificare naturam non eſt effectus formalis primarius hypoſtaticæ unionis, ſed ſolùm ſecundarius, omnis autem talis poteſt à Deo abſolutè impediri, ut eſt communis Theologorum ſenſus. Quæſtio igitur eſt de facto, in qua nonnulli Thomiſtæ dixerunt gratiá habitualem ſimplici emanatione fluere ex hypoſtatica unione ad modum naturalis proprietatis abſque aliqua nova actione, contra quos latè agunt Rada *controv.* 4. *cit.* in fine, Gallus *loc cit ſect.* 3. Vulpes *diſp.* 27. *cit. a.* 4. & alii Scotiſtæ dicentes gratiam habitualem, & alia dona ſupernaturalia, ac beatitudinem ex unione hypoſtatica ſequi neceſſitate quadam morali, & congruitatis, quæ vim Deo non infert, & poteſt talis ſequela ab eo impediri abſolutè loquendo: Vulpes adhuc majorem videtur admittere neceſſariam connexionem, inquit enim regulariter loquendo, & ex communi lege gratiam ità eſſe debitam unioni hypoſtaticę in ſuo ordine ſupernaturali, eo modo quo anima intellectiva eſt debita corpori organico in generatione hominis, non tamen ab illa phyſicè fluere, ſicut calor ab igne, & ſplendor à Sole, ſed immediatè ab ipſo Deo produci, & quidem liberè, ſimpliciter, & abſolutè loquendo, & ſolùm neceſſariò ſecundum quid, qualem neceſſitatem inferre ſolent leges jam ſtatutę: Et quidem quando etiam concederemus Thomiſtis gratiam conſequi naturaliter hypoſtaticam unionem, ut calor conſequitur ignem, & ſplendor Solem, adhuc talis neceſſaria ſequela eſt à Deo impedibilis de potentia Dei abſoluta, ſicut impedire poteſt ſequelam caloris ad ignem, & ſplendoris ad ſolem. His itaq; animadverſis. 7

Dicendum eſt humanitatem Chriſti loquendo de facto, & de potentia ordinaria indiguiſſe gratia habituali ad hoc, ut eſſet Sãcta, & grata Deo ſanctitate, & gratitudine tertio modo accepta, jam explicata *n.* 5. Concluſio deducitur ex Scoto in hoc 3. *diſt.* 1. *queſt.* 1. *&* *diſt.* 2. *queſt.* 1. *&* *diſt.* 13. *qu.* 1. *&* 2. eamque ſupponere videtur *diſt.* 18. 19. & 20. & adhuc clarius eam indicat *diſt.* 10. *qu. unic. in fine*. Hanc concluſionem probat Centinus refutando pręcipuum Adverſariorum fundamentum, quod nimirum Chriſti humanitas ſubſtantialiter ſãctificetur ab unione hypoſtatica, accidentaliter verò ab habituali gratia, cùm hoc manifeſtam involvat contradictionem, ſanctificationem, ſcilicet, eſſe quid ſubſtantiale, cùm ſit accidens tam ſanctitudo activa, quam paſſiva ſanctitas, ut mirum ſit, quid ſibi velit hoc ſubſtantialiter ſanctificari ab ipſis invectum. Verùm, quo legitimo ſenſu poſſit hæc ſubſtantialis ſanctitas admitti, & humanitatem Chriſti dici ſubſtantialiter ab unione hypoſtatica ſanctificatam, iam ſuprà declaratum eſt ex Rada. Quarè hęc ſubſtantialis ſanctitas non debet omninò, ut figmentum reiici. 8

Secundò Gallus, Faber, & alii Scotiſtæ probant, quia nec divinitas, nec divina perſonalitas poteſt eſſę cauſa formalis ſanctificans animam, quia nec hæc, nec illa poſſunt eſſe effectus rei crea-

creatæ; forma autem ſanctificans inhærere debet formaliter rei ſanctificatæ: Nec unio ipſa hypoſtatica in ſe formaliter conſiderata poteſt hoc munus obire, quia potius ſanctificat, ut via, & communicatio ſanctitatis, ut etiam Adverſarii concedunt; ſicut pariter unio gratiæ habitualis cum anima non ſanctificat ipſam formaliter; quamvis enim ſit ſupernaturalis, & ſecum ſanctitatem afferat, non tamen, ut forma, ſed ut via, & unio ſanctitatis, gratia enim ſola eſt, quæ ſanctificat, ut quod; ità ergo ſe habebit unio quoque hypoſtatica in ſuo genere. Sed neque hæc ratio convincere videtur, nã Adverſarii reſpondent, ut videri poteſt apud Caſpenſen *tract.* 20. *diſp.* 5. *ſect.* 1. quando dicitur à Theologis eſſe ſanctum eſſe effectum formalem intrinſecum, hoc eſt à forma ſanctificante intrinſeca, & inhærente, non verò extrinſecum, ly *extrinſecum* duobus modis accipi poſſe; primò pro eo, quod non eſt verè unitum alteri, & in hoc ſenſu Deitas non eſt extrinſeca humanitati aſſumptæ; ſecundò pro eo, quod non immutat aliud, neque immutatur ab illo, ſivè ſit illi unitum per veram unionem, ſivè non, & in hoc ſenſu verum eſt, Deitatem eſſe humanitati extrinſecam; ex hoc tamen non infertur eam non poſſe ſanctificare, quia ut aliquid ſanctificet, non eſt neceſſe, quod immutet naturam, quam ſanctificat, ſed ſufficit, quod ſit verè illi conjuncta; Quæ quidem reſponſio a nobis quoque Scotiſtis admitti debet, ſi volumus admittere modum ſanctitatis ſubſtantialis ſuperius declaratum *n.* 4. qui planè negari non poteſt, cùm negari nequeat humanitatem aſſumptam eſſe aliquo modo ſanctificatam per intimam conjunctionem cum Verbo.

10 Tertiò melius ergo probari poteſt ex doctrina jam tradita, quod ſanctitas ſubſtantialis, quam ſecum affert unio hypoſtatica, ex ſua ratione formali non reddit naturam gratam, & acceptam in ordine ad bona ſupernaturalia, & ad vitam æternam, quandoquidem in eo ſolùm conſiſtat, quod Deus voluit humanitati eſſe perſonale Verbi, quam ſanctitatem, & ſupernaturalem beneficiũ potuit etiam naturæ irrationali conferre, quæ aliorum bonorum non eſt capax. Tùm quia Verbum ipſam quoque naturam humanam potuiſſet aſſumere in puris naturalibus, quod planè negari non poteſt, cum ipſa natura, ut prior quacunque gratia ſit nata ſuppoſitari in Verbo; & de facto prius natura ſuppoſitatur in eo, quàm aliquid creatum ſupernaturale accipiat, ſola unione excepta; in eo autem caſu, quod naturam humanam in puris naturalibus aſſumeret, illa non eſſet grata, nec ingrata; ergo ex vi unionis hypoſtaticæ non habetur in natura aſſumpta ſanctitas, & gratitudo in ordine ad vitam æternam, & cætera bona ſupernaturalia, de qua ſanctitate hic eſt ſermo, ſed ſola ſanctitas ſubſtantialis ſuperius declarata.

11 Reſpondent Adverſarii, quod ſicut gratia habitualis, quæ in ordine ſupernaturali eſt quædam participatio accidentalis divinæ naturæ, conſtituens hominem filium Dei adoptivum, tribuẽſque in jus ad gloriam, eſt vera gratia, & ſanctitas accidentalis; ità gratia unionis, quæ in ordine ſupernaturali eſt formalis, & ſubſtantialis communicatio divinæ perſonalitatis, & conſtituit filium Dei naturalem, tribuit jus excellentiſſimum ad gloriam, atq; adeò eſt propriiſſime ſubſtantialis ſanctitas etiam in ordine ad bona ſupernaturalia. Verùm hæc doctrina à nobis non recipitur; licet enim Chriſtus, ut Deus, ſit Filius Dei naturalis, non tamen, ut homo, ſed ſolùm eſt Filius proprius, & conſubſtantialis; quæ duo valdè differunt, ut infrà ſuo loco dicemus; & quidem filiatio hæc fundatur in gratia habituali, proprietas verò hujus filiationis fundatur in unione hypoſtatica; intantùm enim eſt filius Dei proprius, non alienus, vel extraneus, quia ante infuſionem gratiæ habebat diſpoſitionem de congruo, quæ fuit unio hypoſtatica; Vndè ſi Verbum aſſumpſiſſet naturá in puris naturalibus, ille homo licet fuiſſet ſubſtantialiter Deo unitus, nõ tamen eſſet Filius Dei hac filiatione, quia Chriſtus, ut homo, non fuit filius Dei propter unionem hypoſtaticam, ſed propter gratiam habitualem, quę tamẽ filiatio non fuit adoptiva, ut in nobis propter extraneitaté, ſed propria, & conſubſtantialis propter unioné hypoſtaticam; licet autem filio naturali jus competat in hęreditaté, Filio tamen proprio ſolùm tale ius non competit, ſed tãtùm congruentia, quædam in hæreditatem; Et hoc eſt, quod dicebat Doctor *tit.* 3 *diſt.* 10. *q. un.* in fine, quod propter ſolam gratiá habitualem habet Chriſtus ius in hæreditatem æternam, non autem propter ſolam unionem perſonalem, quia ſi hæc fuiſſet ſine gratia habituali, poſſet Chriſtus ſecundum naturam humanam non habere ius in hæreditatem; qui punctus magis declarabitur infrà in propria quæſtione, an Chriſtus, ut homo ſit Filius Dei.

12 Quartò Deindè principaliter arguitur, quia ex doctrina Conc. Trid. & Patrum de lege ordinaria gratia habitualis eſt gratia ſãctificans, & reddere ſanctum ſubiectum, cui unitur, eſt effectus primarius gratiæ habitualis; ergo humanitas Chriſti hoc ſanctitatis genere non potuit reddi ſancta per gratiam unionis, quia idem effectus formalis, & in eodem ſubiecto, non poteſt à duplici forma, & duplici cauſa totali provenire, alioquin altera omninò fruſtranea eſſet. Reſpondent, ad dignitatẽm Chriſti ſpectare, quod ſanctificetur omnibus modis, quibus cõgruè poteſt, ideoq; debuit ſanctificari ſanctitate, non tantùm creata, & accidentali, ut nos ſanctificamur, ſed etiam increata, & ſubſtantiali; neque idẽ effectus erit à pluribus cauſis totalibus, quia ſanctificare accidentaliter eſt proprius effectus gratiæ habitualis, de quo loquuntur Concil. & Patres; non verò ſanctificare ſubſtantialiter, hoc enim unioni hypoſtaticæ, & hæc eſt peculiaris in Chriſto.

Sed Contrà quia quandocunque forma ſuperior continet eminenter, vel virtualiter inferiorem, ac effectum illius, fruſtrà hæc ponitur cum illa, quia quicquid habetur per iſtam, præſtatur etiam ab illa, & excellentiori modo, & hæc eſt ratio, cur in communi ſententia non ponantur tres animæ in homine, ſed ſola anima rationalis eminenter, vel virtualiter continens ſenſitivam, & vegetativam, ac effectus eius; ergo ſi unio hypoſtatica ſanctificat Chriſti humanitatem, ſicut gratia habitualis, in ordine ad beatitudinem, & cætera bona ſupernaturalia, ac etiam excellentiori, præſtantiori modo, quia una ſanctitas eſt accidentalis, altera ſubſtantialis, una creata, altera increata; certè ſanctitas inferioris ordinis erit omninò ſuperflua, quia per ſanctitatem ſuperioris ordinis habetur quicquid ab alia præſtatur, & præſtantiori modo. Tùm quia tota capacitas naturæ humanæ in ordine ad ſanctificari poteſt expleri per Verbi perſonalitatem, ſed virtus ſanctificandi quæ eſt in Verbo tota communicatur naturæ aſſumptæ, quantum communicari poteſt; ergo tota expletur, nec aliam ſanctificationem à gratia recipere poteſt. Confirmatur, quia humanitas Chriſti per gratiam unionis erat infinitè ſancta per Adverſarios; ergo tanto minus indigebat aliqua ſanctitate creata, per quam ſancta redderetur. Nec iuvat replicare rurſus, quod licet anima Chriſti fuerit infinitè ſancta per gratiam unionis, fuit etiam neceſſaria gratia habitualis ad ſanctificandam illam ſanctitate creata, finita, & inhærente, quia decuit habere omnem ſanctitatem, & omnem modum ſanctitatis poſſibilis. Hoc enim eſt, quod directè argumentum impugnat, quia ſi ſemen per ſanctitatem unionis ſit reddita humanitas Chriſti infinita intenſivè, quia in ſanctitate Dei includitur eſſentialiter omnis alia ſanctitas, & extenſivè ſatiata eius capacitas, iam fruſtra additur nova ſanctitas, vel novus modus ſanctitatis creatæ; Vndè quando etiam talem ſanctitatem ſubſtantalem admitteremus in Chriſto ex vi unionis hypoſtaticæ, qualem Adverſarii contendunt, adhuc deberemus dicere hanc eſſe finitam, quia licet ſanctitas Verbi naturæ aſſumptæ communicata ſit infinita, tamen communicatur finito modo iuxtà capacitatem naturæ, cui communicatur, ut dictum eſt ſuprà *n.* 4. Tùm quia infinita ſanctitas eſt, qua maior excogitari non poteſt, ſed maior eſt ſanctificatio Verbi, quam naturæ aſſumptæ, nam illa eſt per ſanctitatem ſecum realiter identificatam, hæc verò per ſanctitatem ſibi contingenter unitam. Nec valet, quod reſpondet Amicus cum aliis *diſp.* 16. *ſect.* 5. in fine, humanitatem Chriſti infinitè ſanctificari, non phyſicè, ſed moraliter à ſanctitate increata Verbi hypoſtaticè ſibi unita, eo modo, quo dignitas moralis operum Chriſti eſt infinita ſimpliciter in genere dignitatis moralis ob circumſtantiam perſonæ operantis. Non valet, tùm quia dignitas operum Chriſti ex circumſtantia perſonæ evadit infinita tantùm ſecundum quid, non verò ſimpliciter, ut patebit *diſp. ſeq.* tùm quia hæc reſponſio directè infringitur argumento ſequenti. 13

Quintò arguitur, quia Adverſarii ipſi non conveniunt, an perſonalitas, & divinitas humanitati coniuncta illam ſanctificet phycè, vel ſolum moraliter, Suarez, Amicus, Orlandus, & alii communiter volunt moraliter tantùm ſanctificari, per denominationem nimirum moraliter derivatam ab ipſa perſonalitate, vel Deitate phyſicè unita, eo modo, quo dici ſolet dignitas, perſonalitatis divinæ moraliter derivari in opera Chriſti, non verò phyſicè, quia phyſicè fieri ſanctum non eſt tantùm phyſicè uniri cum ſanctitate, ſed eſt reddi per illam intrinſecè ſanctum, vel per intrinſecam inhęrentiam, vel per identitatem. Cùm enim eſſe ſanctũ ſit denominatio intrinſeca, quia nemo poteſt eſſe ſanctus ſanctitate alterius, cùmq; Deitas non inhæreat humanitati, tamquam phyſica forma, nec reddat illam ſanctam per identitatem, non poterit per phyſicá unionem cum Deitate humanitas Chriſti denominari phyſicè, vel moraliter tantùm ſancta, ſanctitate moraliter in humanitatem derivata à phyſica ſanctitate increata Deitatis. E contrà vero Lorca, Caſpenſis, & alii contendunt, humanitatem Chriſti per Deitatem phyſicè coniunctam phyſicè pariter ſanctificari, quia ſicut perſonalitas divina poteſt uniri phyſicè, quin phyſicè informet, ità poteſt phyſicè ſanctificare, quin phyſicè informet; undè ſanctitas ſubſtantialis, ut phyſicè ſanctam reddat humanitatem, & denominet, ſatis eſt ſi phyſicè uniatur, ſicut hoc ſufficit, ut eam denominet ſubſtantialiter terminatam. Tùm quia ſi humanitas Chriſti per divinitaté coniunctá ſanctificata fuit ſanctificatione ſolùm morali, ſequitur longè inferiori modo ſanctificatam fuiſſe, quàm nos ſanctificemur, ſiquidem ſanctificatio moralis imperfectior eſt toto genere, ſanctificatione phyſica. Nec valet, quod inquit Orlandus, facta 14

comparatione inter creatas ſanctificationes, præſtantiorem utique eſſe illam, quæ ſanctificaret phyſicè, quàm quæ ſanctificaret moraliter, ſecus tamen comparando ſanctificationem phyſicam formæ creatæ cum ſanctificatione morali formæ increatæ, cùm enim hæc ſanctificatio ſit infinita, ut potè procedens à forma infinita, longè ſuperat ſanctificationem quamcunque creatam, quantumvis phyſicam, cùm ſolùm ſit ſanctificatio finita. Non valet, inquam, quia licet hæc ſanctificatio eſſet moralis, adhuc tamen finita eſſet, ac limitata, quia licet à forma infinita procederet, hoc tamen fieret finito modo, ſicut finito modo quoque Verbi perſonalitas communicatur humanitati aſſumptę iuxtà eius capacitatem, ex ſuperius dictis.

15 Sextò tandem ſemper urget argumentum principale, quod ſanctitas ſubſtantialis, quam ſecum affert unio hypoſtatica, ex ſua ratione formalis reddit tantùm naturam, cui unitur ſubſiſtentem, non verò ſanctam, gratiam, & acceptá in ordine ad bona ſupernaturalia, & ad beatitudinem; quia natura irrationalis poteſt aſſumi à Verbo, quæ tamen non eſſet ſubſtantialiter ſancta hoc ſanctitatis genere. Nec valet communis reſponſio, quod reddere ſanctum, & juſtum nõ eſt effectus primarius unionis hypoſtaticę, ſed tantùm ſecundarius, & ideò opus non eſt, quod tribuatur, niſi juxtà capacitatem naturæ aſſumptæ; & ideò, quia natura irrationalis non eſſet capax, niſi cujuſdam ſanctitatis imperfectæ, ſicut & caro ipſa Chriſti, diceretur ſancta eo pacto, quo ſanctitatis eſt capax. Non valet, inquam, quia Verbum ipſam quoque naturam humaná in puris naturalibus aſſumere potuiſſet, ut ſupra probatum eſt *n.* 10. & in quo quidem caſu grata non eſſet, nec ingrata. Quod planè ſine ullo fundamento negat Amicus *ſect.*3. dicens, quod potuiſſet illam aſſumere, & formaliter non ſanctificare, undè ſicut per aſſumptionem illam formaliter ſanctificat, ità formaliter eam extrahit à puris naturalibus. Hoc inquam, gratis omninò negatur ab Amico; quia ſi ſanctificare naturam aſſumptam eſt effectus duntaxat ſecundarius unionis hypoſtaticæ, ut Adverſarii concedunt, jam in ſubiecto quoque illius capaci poteſt talis effectus à Deo impediri abſolutè loquédo, ergo potuit naturam humanam in puris naturalibus aſſumere. Tùm quia de facto, & de potentia ordinaria nequit Verbum aſſumere naturam Sanctitatis capacem, quin eam formaliter ſanctificet, & ius præbeat ad ſupernaturalem beatitudinem, ſingularem amabilitatem, & cæteros effectus formales ſanctitatis, non quia hi procedant formaliter ex intrinſeca ratione unionis hypoſtaticæ, ut eius primarius effectus; ſed quia regulariter cõſequuntur ad illam per concomitantiá veluti connaturalem ipſius gratiæ habitualis, quæ formaliter præſtat hos ſanctitatis effectus, modo iam explicato *n.* 6. & 7. non ergo per aſſumptionem ipſam formaliter ſanctificatur humanitas, & à puris naturalibus extrahitur, ſed ſolum radicaliter, & cauſaliter, quatenus regulariter loquendo, & communi lege ità debita eſt unionis hypoſtaticæ cócomitantia gratiæ habitualis in ſuo ordine ſupernaturali, ſicut anima rationalis eſt debita corpori organizato in ordine naturali

16 Hinc dici poteſt de facto, & regulariter unionem hypoſtaticá ſanctificare naturam aſſumptam in ordine actus primi, & quidé perfectius, quàm gratia habitualis, reddereque humanitatem quoad actum primum obiectum divinæ dilectionis, quod expreſsè docet Doctor 3. *diſt.* 2. *q.* 1. ad 1. ubi inquit, quod unio hypoſtatica eſt maior inter omnes quoad actum primum, quia per hanc communicatur eſſe perſonæ aſſumentis naturæ aſſumptæ, & modò de facto hæc unio includit alias, nempè unionem gratuitam, ſeu per gratiam, ac ipſam quoque unionem beatificam, nam ipſa eſt radix, & origo omnis meriti, & ſub ipſa cadit gratia, beatitudo, & omnia dona ſupernaturalia; unde eſtò abſolutè loquendo non habeat indiſpenſabiliter neceſſariam cum illis connexionem, regulariter tamen, & connaturaliter eam habet, ut notat Doctor 3. *diſt.* 2. *q* 2. *G.* Tùm quia ex natura rei magis congruum videtur, quod potius unio hypoſtatica illos exigat effectus ſanctitatis, quàm forma ipſa phyſica gratiæ, & quod potius deberet vita æterna concedi humanitati Verbo unitæ; quam humanitati ullam aliam formam habenti; denique quod potius deberet Deus impedire, ne peccatum ſit cum unione hypoſtatica, quàm cum entitate phyſica gratię; Undè hac ratione dicendum eſt unionem hypoſtaticam perfectius ſanctificare humanitatem in ordine actus primi, quàm faciat gratia ipſa habitualis; hoc autem, ut dixi intelligi debet de facto, & regulariter loquendo iuxtà leges ſtatutas, quia talis congruitas ex natura rei ſe tenens ex parte unionis hypoſtaticæ non obſtat, quin Deus poſſit alteri facere abſolutè loquendo; De poſſibili enim hæc unio eſt compoſſibilis cum peccato, ut infrà dicemus, quo caſu non ſanctificaret humanitatem ſecundum totum eſſe, ſcilicet, eſſentiale, & perſonale, ſed ſecundum eſſe perſonale tantum, at ſecundum eſſe eſſentiale humanitas illa eſſet Deo inviſa.

Poſtremò in concluſione dixi, de facto, & de potentia ordinaria humanitatem Chriſti gratia habituali indiguiſſe ad effectum ſanctificationis, de qua eſt quæſtio, quia loquendo de potentia Dei abſoluta ea non indiguit; quia ut docet Scotus 1. *diſt.* 16. *q.* *art.* 2. univerſaliter de omnibus creaturis ſanctitatis capacibus, poteſt Deus hominem diligere in ordine ad gloriam, illamque ei conferre, ſine ullo habitu infuſo per ſolam extrinſecam acceptionem, quia Deus nõ alligatur cauſis ſecundis, & quicquid poteſt mediantibus illis, poteſt etiam ſine illis. Tùm quia ſicut gratia habitualis non ex natura rei, ſed ex ſola ordinatione divina reddit hominem ſanctum & ſibi gratum, ut dictum eſt *lib.* 2. *diſp. ult.* *q.* 1. ità quoque facere potuiſſet, ut ipſa unio hypoſtatica formaliter ſanctificaret, & eodem modo, quo gratia habitualis; quo dato caſu ipſa ſola unio hypoſtatica ad hunc effectum fuiſſet ſufficiens, nec gratia habitualis neceſſaria eſſet.

ARTICULUS SECUNDUS.

Solvuntur Obiectiones.

IN oppoſitum Primò obiiciunt plurimas Patrum auctoritates 18
dicentium Chriſti humanitatem fuiſſe ſanctificatam, unctam, & deificatam divinitate ipſi humanitati per unionem communicata; & hoc non ſolùm cauſaliter, ſed etiam formaliter, quia exponentes illud *Pſal.* 43. *unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ* docent unctionem humanitatis, ideſt, ſanctificationem fuiſſe divinitatem ipſam, & Chriſtum fuiſſe à Patre ſanctificatum, non ut alios homines, ſcilicet, per gratiam, ſed ipſa divinitate per unionem humanitati unita, & planè loquuntur de ſanctitate ſubſtantiali, non quocunque modo ſumpta, ut etiam conveniret naturę irrationali, ſi à Verbo aſſumeretur, ſed etiam in ordine ad bona ſupernaturalia, & vitam ęternam, & ſingulariter Bernardus *hom.* 4. ſuper Miſſus eſt, inquit *ſingulariter ſanctum fuit quicquid Virgo concepit, & per Spiritus ſanctificationem* hoc eſt, per gratiam habitualem, *& per Verbi aſſumptionem* hoc eſt ratione unionis hypoſtaticę. Conf. ratione, quia homo ſanctificatur per aliquam participationem divinitatis, quę eſt ſanctis per eſſentiam; hinc dicitur, quod gratia eſt ſemen gloriæ, & participatio Dei; ſed nulla poteſt eſſe maior participatio divinitatis, quàm per unionem hypoſtaticam; ergo ſi per gratiam homo ſanctificatur, multò magis per unionem hypoſtaticam. Demum, per ſolam inhęſionem cujuſdam qualitatis, ſcilicet gratiæ; homo fit ſanctus ex Concil. Trid. ergò multò magis per conjunctionem ad Verbum divinum; conſequentia probatur, quia gratia non eſt, niſi quædam participatio divinæ naturæ; ergò ſi participatio tantùm hoc poteſt, cur non ipſa perſona divina humanitati unita?

Reſp. Patres eo modo loquentes nil aliud intendiſſe, quam 19
hæreſim Appollinaris, & ſequacium infectari, qui negabat Verbum humanam aſſumpſiſſe mentem, ne cũ ea peccatum in Chriſto admitteret; ad quod principium evertendum dicebant nullum imminere periculum, quod in illa mente locus eſſet peccato, quę Verbo, & divinitati conjuncta erat, quia divinitatis intima præſentia, & conjunctio per dona, quæ ſecum affert, peccatum, & poteſtatem ad illud à Chriſti humanitate excludebat; Non explicant autem, an præſentia divinitatis id faceret per ſe ipſam formaliter, vel ſolùm virtualiter, & cauſaliter per dona, quæ ſecum invehit in naturam aſſumptam; undè adhuc benè reſtat noſtræ explicationi locus, quod debeat intelligi virtualiter, & cauſaliter, non verò formaliter. Itaque gratis concedimus humanitatem per intimam cum Verbo conjunctionem ſivè phyſicè, ſive moraliter ſanctificari, & unionem hypoſtaticam ſe ſola ſpectatam humanitatem Chriſti reddere amabilem, ſanctam, & Deo gratiam modo jam explicato cum Rada *n.* 4. quam ſubſtantialem ſanctitatem unionis hypoſtaticæ propriam, minimè credo, alios Scotiſtas negare voluiſſe, quia re vera negari nequit, humanitatem ex vi unionis hypoſtaticè præcisè aliquam eximiam acquirere ſanctitatem ob intimam, & phyſicam conjunctionem cum Verbi perſonalitate, quam non haberet purus homo quantacunque gratia habituali perfuſus, quatenus eam entitativè, ac ſubſtantialiter complet per propriam ſubſiſtentiam. Attamen in ordine ad beatitudinem, aliaque ſupernaturalia bona, licet eam reddat amabilem in actu primo, non tamen actu amatam, & acceptam, quia ſolùm diſponit, & ut illam humanitatem reddens in Verbo perſonatam dat jus radicale ad beatitudinem; redditur verò talis per gratiam ipſam habitualem unionem hypoſtaticam concomitantem, veluti connaturaliter. Cùm igitur Patres munus hoc ſanctificandi humanitatem aſſumptioni attribuunt, confuſè eam accipiunt, & cumulatè cum omnibus, quæ unionem concomitatam ſunt, hoc enim illis ſatis erat ad evellendum errorem illorum Hæreticorum, contra quos agebant, interim negotium Theologis relinquentes ſubtilius inquirendi rationem formalem, & præciſam talis ſanctificationis, ut in aliis etiam contingit materiis, quod optimè Gallus adnotavit *cap.* 3.

Ad Confirmationem, & ultimam rationem, quæ in idem recidit, & eſt præcipuum adverſæ ſententiæ fundamentum, quod ad- 20
huc amplius exaggerat Card. de Lugo *num.* 32. dicens humanitatem aſſumptam mediante unione hypoſtatica fieri participem entitatis divinæ, & realiter, & perſonalitate Verbi divinizari; Reſpondeo, per has, & ſimiles locutiones nequaquam intelligi poſſe, quod mediante hypoſtatica vnione humanitas ita fiat divinitatis particeps, vt homo realiter Fiat Deus, ſeù tranſeat in divinam naturam, ſed ſolùm per communicationem idiomatum talis dicitur ob conjunctionem cum divinitate ipſa in perſona Verbi, tanquam in tertio, eo modo, quo in lacte dulce dicitur album, & album dulce ob illarum qualitatum unionem in ſubjecto communi; quo quidem ſenſu etiam natura ipſa irrationalis fieret divinitatis particeps, ſi aſſumeretur à Verbo, nempè per Idiomatum communicationem; neque ob id fieret ſancta, & accepta Deo eo ſanctitatis genere, de quo hic eſt ſermo, ut etiam Adverſarii concedunt; Undè ſi res benè conſideretur, participatio divinitatis, quæ fit mediante gratia habituali, eſt omninò alterius rationis ab ea, quæ habetur per unionem hypoſtaticam, hæc enim ſonat illam Idiomatum communicationem ob intimam conjunctionem naturæ creatæ cum divina in ſuppoſito Verbi, illa verò ſignificat, quod homo, mediante gratia fiat conſors cum Deo, ideſt, habeat eandem ſortem, ſeù ius ad gloriam, quod habet Deus; Qua de cauſa inquit Doctor 3. *diſt.* 2 *quæſt.* 1. *ad* 1. quod propriè loquendo de unione hypoſtatica, de unione beatifica, & de unione per gratiam, una nequit dici major alia, nec fieri poteſt comparatio inter illas; neque ex una licet arguere ad aliam, quia ſunt uniones alterius, & alterius rationis, atque ideò non propriè inter ſe comparabiles; cui doctrinæ, cum ſubſcribant Paſqualigus, Morandus, & alii Recentiores in ea quæſtione, an unio hypoſtatica ſit omnium maxima, ut dixi *diſp. præced. quæſt.* 3. *num* 44. non video, qua ratione poſteà in hac quæſtione illius doctrinæ obliti comparent participationem divinitatis, quæ fit media unione hypoſtatica ex una parte, & per gratiam habitualem ex alia; & ex una ad aliam arguant adeò ferventer, ut rem pænitus demonſtraſſe preſumant; Itaque in uno genere maior eſt participatio divinitatis quæ fit per unionem hypoſtaticam, quàm quæ fit per gratiam, quia ex illa reſultat Idiomatum communicatio ob intimam coniunctionem phyſicam, & realem unius naturę cum alia in eodem ſuppoſito, in alio verò genere maior eſt participatio divinitatis, quæ fit per gratiam habitualem, quam quæ fit per unionem hypoſtaticam, quia ſecum affert formaliter, & propriè ius ad gloriam; quod unio hypoſtatica non affert, niſi radicaliter, cauſaliter, ac diſpoſitivè modo iam explicato *nu.* 6. *&* 7. & hæc eſt vera, ac genuina, huius argumenti ſolutio, quicquid dicant alii Scotiſtæ, qui planè ſatisfacere mihi non videntur, ut eorum ſolutiones ponderanti patebit.

21 Secundò arguunt, ſi Chriſti humanitas non haberet aliam ſanctitatem quàm quæ provenit à gratia habituali, eius opera non haberent infinitum valorem in ratione meriti; ſed hoc eſt falſum, ergò alia ſanctitas excellentior poni debet in Chriſto, per quam reddatur ſancta, quæ planè alia eſſe non poteſt, quàm ea, quam in ipſa formali ipſius humanitatis aſſumptione Verbum illi communicavit; ſequela probatur, quia ſanctitas per gratiam habitualem non poteſt dare operibus Chriſti valorem, niſi finitum, & limitatum, cum ſit ſanctitas finita, & inferioris ordinis à ſanctitate ſubſtantiali Incarnationis. Confirmatur, quia hoc donum gratiæ unionis tale eſt, quod adimit omnem culpam, & peccatum à natura unita, eamque reddit impeccabilem; ergò habet per ſe conſtituere hominem ſanctum, innocentem, & Deo gratum. Demum quia ſumma ſanctitas reddit ſubiectum ſummè ſanctum, & per conſequens ſummè amabile, & gratum Deo ratione ſuæ pulchritudinis in ordine ad hæreditatem, talis autem ſumma ſanctitas eſt; hypoſtatica unio ex Patribus dicentibus humanitatem Chriſti propter unionem ad Verbum fuiſſe deificatam, & unctam ipſa Deitate; undè explicant hanc unionem exemplo ferri in fornace igniti, ponuntque diſcrimen inter Chriſtum, & cæteros Sanctos, quod iſti participativè dicuntur Sancti, Chriſtus verò ſubſtantivè, ut diſcurrit Auguſtin. lib. 2. de Incarnatione Verbi circa medium.

22 Reſpondeo negando minorem ſiquidem meritum Chriſti ex infinita dignitate perſonæ merentis non fuit ſimpliciter infinitũ, & poſitivè, ſed tantùm ſecundum quid, & negativè, ut dicimus *diſp.* 3. *ſeq. num.* 288. & valor operis nedùm ſumitur ex dignitate perſonæ operantis, ſed etiam ex intrinſeca eius bonitate morali, quæ utique in operibus Chriſti finita fuit, ut dicimus *diſp.* eandem *num.* 304. Tùm etiam quia ex vi unionis hypoſtaticæ nullus reſultat modus phyſicus infinitus in actionibus Chriſti, & ipſa Chriſti humanitas ex vi eiuſdem non dicitur deificata, & ſanctificata, niſi finito modo, ut dicimus eadem *diſput. num.* 343 & 349.

Ad Confirmationem aſſumptum non eſt abſolutè verum, quia Doctor 3. *diſt.* 2. *q.* 1. & *diſt.* 12. *quæſt.* 1. impeccabilitatem Chriſti refert in gloriam, ſeù in unionem beatificam, qua Beati de lege ordinaria ſunt impeccabiles, quod 4. *diſt.* 49. *quęſt.* 6. refert in divinam præventionem, qua à potentia proxima peccandi præſervantur; ſecundo refert in gratiæ plenitudinem, qua Chriſtus confirmatus eſt, ne omninò peccaret; Sed non refert in unionem hypoſtaticam, niſi ut in rationem de congruo propter quam gratiæ, & gloriæ plenitudo debetur Chriſto. Ad ultimum, iam dixi, quod cum Patres unionem hypoſtaticam vocant ſummam ſanctitatem, eam confuſè accipiunt, & cumulatè cum omnibus donis, quæ de facto unionem concomitata ſunt; tùm etiam quia ut dictum eſt *num.* 16. unio hypoſtatica eſt maior inter omnes quoad actum primum, quia per hanc communicatur eſſe perſonæ aſſumentis naturæ aſſumptæ, & modò de facto hæc unio includit alias, nempè unionem per gratiam, ac ipſam quoque unionem beatificam; nam ipſa eſt radix, & origo omnis meriti, & ſub ipſa de facto cadunt gratia, beatitudo, & cætera dona ſupernaturalia; hac igitur de cauſa unio hypoſtatica dicitur ſumma ſanctitas, & reddere ſubiectum ſummè ſanctum, amabile, & gratum Deo, quia eſtò abſolutè loquendo non habeat neceſſariam cum illis donis connexionem indiſpenſabiliter; regulariter tamen, & connaturaliter eam habet, quatenus unio hypoſtatica eſt cauſa diſpoſitiva, & neceſſitans de potentia ordinaria ad receptionem gratiæ, & gloriæ connaturaliter illi debitæ ex ſumma congruitate; ad exemplum de ferro ignito à Patribus adductum ad hanc unionem explicandam dicemus infrà *n.* 26.

Tertiò arguunt, illa eſt forma ſanctificans, quæ reddit ſubie- 23
ctum gratum Deo, & congruum ad terminandam Dei amicitiam ſupernaturalem, quæ expellit peccatum, quæ evehit ad eſſe divinum, quæ jus ad æternam fundat beatitudinem; ſed hæc omnia præſtat unio hypoſtatica perfectiori, & excellentiori modo; quàm gratia habitualis; ergò &c. minor probatur, quia reddit impeccabilem naturam multò magis, quàm gratia habitualis, & participem divinitatis, quia unione hypoſtatica realiter unitur Deo, per gratiam verò ſolùm participativè, & moraliter, quam rationem cenſet Cardinalis de Lugo à priorir. Confirmat Poncius *loc. cit.* quia ex natura rei apparet, quod potius unio illos exigat effectus, quàm forma phyſica gratiæ, nempè, quod potius deberet Deus impedire, ne peccatum ſit cum unione, quam cum entitate gratiæ, & quod potius gloriam concedere deberet humanitati Verbo unitæ, quàm habenti gratiam habitualem. Denique arguunt alii, quia humanitas Chriſti pręciſè ratione unionis hypoſtaticæ, & ſecluſo quocunque alio dono ſuperaddito, fuit grata Deo maximè dilecta, & excellentiſſimam participationem divini eſſe habebat, & jus naturale ad beatitudinem, ac alia Dei dona; undè homo, qui erat Chriſtus, fuit verè Filius Dei naturalis; ergo pręciſè ratione unionis hypoſtaticæ habuit ſanctitatem aliquam, ſcilicet, increatam, quia iſta omnia ſunt effectus alicuius ſanctitatis.

Reſpondeo ex dictis *n.* 16. hæc omnia præſtare unionem 24
hypoſtaticam perfectiori, & excellentiori modo, quàm gratia habitualis, in ordine actus primi modo iam ibi explicato, non verò in ordine actus ſecundi, reddit etiam natura perfectiori modo divinitatis participem, quàm gratia habitualis, in ſenſu iam explicato *num.* 20. alioquin in alio ſenſu, de quo hic eſt quæſtio, major eſt participatio divinitatis, quæ fit per gratiam habitualem, quàm quæ fit per hypoſtaticam unionem, ut ibi dictum eſt.

Ad Confirmationem patet ex dictis eodem *n.* 16. per id probari ſolùm unionem hypoſtaticam perfectius ſanctificare naturam in ordine actus primi, quàm faciat gratia habitualis, & hoc quidem non ex abſoluta neceſſitate, ac indiſpenſabili, ſed ex quadam congruitate, quæ ex natura rei potius convenit unioni hypoſtaticæ, quàm gratiæ habituali. Ad ultimum negatur aſſumptum ſimpliciter, & abſolutè ſumptum, ut conſtat ex dictis *n* 11. *&* 19. unio enim hypoſtatica Chriſtum non conſtituit, ut hominem, Filium Dei naturalem, ſed tantùm proprium, & non extraneum, cui proindè non competit hæreditas de jure, ſed tantùm ex quadam congruitate, & in ordine ad beatitudinem, licet faciat humanitatem Chriſti in actu primo amabilem, non tamen in actu ſecundo amatam, & acceptam, & quatenus reddit eam in Verbo perſonatam, ſolùm dat ius radicale, & remotum ad beatitudinem, non verò formale, & proximum; Neque eam alio modo ſanctificare dicitur præciſè ſumpta, niſi quatenus entitativè, & ſubſtantialiter complet, & ſubſiſtentem reddit, qui modus ſanctitatis etiam naturæ irrationali communicaretur, ſi à Verbo aſſumeretur. Neque hinc ſequitur, ut inſtant aliqui, humanitatem Chriſti non alio modo ſanctificari per unionem hypoſtaticam, quàm extrinſecè, eo modo, quo veſtes, & alia ex contactu corporum Sanctorum; Nam in myſterio Incarnationis intervenit vera, & phyſica unio ſubſtantialis humanitatis cum Verbo, ac proindè vera, & ſubſtantialis ſanctitas ſuperius explicata *num.* 4. & non tantùm per quandam extrinſecam denominationem & moralem exiſtimationem, qualis eſt ſanctitas veſtium contracta ex contactu reliquiarum ſanctarum.

25 Quartò, quia Adverſarii non eodem modo oppoſitam defeudunt ſententiam, diſcrepant enim in aſſignanda forma ſanctificante in hoc ordine ſanctitatis increatæ, quæ in genere cauſæ formalis humanitatem Chriſti hoc modo ſanctificet, nùm ſit ipſa divina natura, vel perſonalitas Verbi, vel modus ipſe unionis ut diximus ab initio quæſtionis *n.* 2. Primò aliqui probant hanc formam ſanctificantem eſſe ipſum unionis modum, quia unio formaliter ſumpta eſt gratia, & altioris ordinis, quam gratia habitualis, quapropter D. Aug. *lib. 3. de Trinitat. cap.* 18. vocat eam ſummam gratiam, ac ei tribuit Chriſti impeccabilitatem; ergo ea ſola, ut quod, eſt forma ſanctificans Chriſti humanitatem; ergo ad hunc finem non eſt neceſſaria gratia. Secundò probant alii hanc formam ſanctificantem eſſe ſolam Verbi perſonalitatem, quia ipſa perſonalitas, ut virtualiter diſtincta à natura divina, eſt infinitè perfecta, & venerabilis ſupremo cultu latriæ propter excellentiam, quam in ſe habet; ergo ipſa, prout virtualiter diſtincta à natura, eſt ſufficiens ſanctificare humanitatem, & perfectiori modo, quàm quælibet gratia habitualis. Tertiò tandem probant alii, humanitatem aſſumptam à ſola divinitate ſanctificari, ut virtualiter à perſonalitate diſtincta, quia Patres comparant unionem humanitatis cum divinitate factam in Incarnatione cum unione ignis cum ferro, aut cum carbone ignito; ſicut ergo ferrum, aut carbo ex conjunctione ad ignem redditùr ignitus, & inflammatus, ut videatur eſſe ignis; ſic etiam humanitas ex conjunctione præcisè ad divinitatem, quæ eſt ipſa ſanctitas per eſſentiam, manebit deificata, & ſanctificata; Et quamvis unio Deitatis cum humanitate ſit mediata, adhuc tamen ſufficit ad illam deificandam, & ſanctificandam magis, quam inhærentia per informationem gratiæ accidentalis; quia quo virtus ſanctificandi major, & perfectior eſt, eò minorem poſtulat conjunctionem cum ſubjecto ſanctificatio; at Deitas eſt ſanctitas in infinitum excedens quamcunque ſanctitatem gratiæ accidentalis; ergo.

26 Reſpondeo, dùm D. Auguſt. unionem hypoſtaticam vocat gratiam; vel gratiam ſumit pro gratuita divinæ voluntatis condeſcenſione; vel intelligi debet copulativè, ideſt, copulata unione cum comitatu donorum, & gratiarum, vel diſpoſitivè, ut explicat Doctor; & hoc eodem ſenſu impeccabilitatem Chriſti adſcribit unioni divinitatis cum humanitate, nimirum diſpoſitivè ſolùm, non formaliter modo iam explicato. Ad 2. nego aſſumptum, quia proprietates perſonales, ut ab eſſentia præcisè, non ſunt adorationis capaces, quia, ut ſic, præſcinduntur à ratione adorandi, ut dictum eſt *lib. 1. diſp. 7. q. 1. n.* 48. neque hoc eſt inconveniens, imò ita docemur à Patribus, dum dicunt in actu adorationis ſeparandam non eſſe perſonarum Trinitatem ab unitate eſſentiæ, ſed in unitate deberi Trinitatem venerari, & unitatem in Trinitate, ut ibi dictum eſt. Ad 3. retorquetur argumentum quoad utramque partem, & quidem quoad primam, quia ſi in ſimilitudine ferri igniti fiat vis, potius oppoſitum deducitur, nam forma ignis non dat eſſe ferro, nec illud ſubſtantivè denominant, ſed tantùm adiectivè, non enim ferrum dicitur ignis, ſed ignitum quaquam totum videatur ignis, itaq; exemplo illo voluerunt indicare Patres, quod ſicut in poris ferri includuntur aliquæ ignis particulæ, ita in Chriſto ſanctitatem Deitatis includi, ac ſic Chriſtum, ut complexum per illam ſanctum eſſe. Retorquetur etiam quoad alteram partem, quia ut duo accidentia de ſe invicè in concreto dicantur, ſufficit eorum conjunctio in eodem ſubiecto, ut conſtat de albedine, & dulcedine in lacte; aut verò duæ ſubſtantiæ de ſe mutuò enunicentur in concreto, exigitur major unio, nempè in perſona, quæ utique maior eſt, quamvis ergo divinitas ſit maior ſanctitas, quam gratia habitualis, non poteſt aliquod ſubiectum ſanctificare maximè intrinſecè, niſi maiori nexu, quàm gratia habituali, uniatur; quod totum ſignificavit Doctor 1. *diſt.* 5. *q.* 2. ubi hoc diſcrimen aſſignat inter denominativa ſubſtantialia & accidentium, quod hæc ſuum ſortiuntur effectum per unionem informationis, ac etiam minori, ut patet de pluribus accidentibus in eodem communi ſubiecto ſuſtentatis, at verò ſubſtantia totum aliquod completum non denominat, niſi ſit illi eadem realiter; & incompletum non denominatur ab ea, niſi per informationem, ut materia à forma, corpus ab anima, at humanitas in Verbo ſubſiſtens completa eſt, & unio divinitatis cum ea eſt tantùm in tertio, ergo non ſufficit ad denominandam humanitatem ſanctam in eo rigore, quo Adverſarii prætendunt.

Ex dictis in tota hac quæſtione conſtare ſatis opinor, quàm immeritò nonnulli Adverſariorum oppoſitam ſententiam adeo certam putent, ut noſtram temeritatis inſimulent, ut videre eſt apud Suarez *diſp. 34. ſect. 2. § dico ſecundò*; conſtat enim eam ſententiam in Scripturis non firmum habere fundamentum, nec Patrum teſtimoniis, quibus præſertim nititur, validè conſtabiliri, facillimam namque, & obuiam habent explicationem, ut conſtat ex dictis, cùm eorum intentio duntaxat fuerit Appollinaris errorem evertere, quod validè conſequuntur etiam in noſtra ſententia.

ARTICULUS TERTIUS.

Reſolvitur dubium, an Chriſto fuerit neceſſaria gratia actualis ad eliciendos actus ſupernaturales.

Affirmant Recentiores paſſim Suarez, Averſa, Amicus, Morandus, & alii complures, quibus ex noſtris ſubſcribit Rada *3. part. controv. 4. art. 3. notab.* 1. quorum fundamentum eſt, quia ex vi naturæ unitæ Verbo, potentiæ non elevabantur ad aliquod præſtandum ſuprà vires ſuas; quarè cum plurima præſtiterit opera ſupernaturalia, neceſſarium fuit, quod per gratiam actualem excitaretur, & addiuvaretur à Deo, non minus, ac nos egemus eadem ad illa opera præſtanda. Negant communiter Noſtrates, ità Faber 3. *diſp.* 28. Vulpes *diſp.* 27. *ſect.* 5. & alii Scotiſtæ. 27

Pro reſolutione quæſiti advertendum eſt duplicem eſſe gratiam actualem, ſeù duplex auxilium; unum per modum concurſus; aliud verò per modum principii moraliter excitantis, vel ad malum fugiendum, vel ad bonum proſequendum, quod auxilium ex parte intellectus in aliqua ſancta cogitatione conſiſtit, & in pia motione ex parte voluntatis; Priorem gratiam dicendum eſt fuiſſe neceſſariam animæ Chriſti ad actus ſupernaturales eliciendos, non minus, quam ei neceſſarius fuerit concurſus naturalis ad actus naturalis ordinis eliciendos; & ratio eſt, quia nullus actus à cauſa ſecunda produci poteſt abſque proportionato primæ cauſæ concurſu; ergò ſicut implicat actum naturalem produci abſque naturali concurſu primæ cauſæ, ita implicat produci actum ſupernaturalem abſque concurſu ſupernaturali eiuſdem primæ cauſæ. 28

Cæterum de gratia poſteriori loquendo, dicendum, eſt minimè fuiſſe illi neceſſariam ad eliciendos actus ſupernaturales ad omnia præcepta Dei ad implenda, & ad omnia peccata vitanda; Ratio eſt, quia gratia præveniens, & adiuvans ſunt auxilia, quæ præſtat Deus homini viatori ad malum evitandum, & bonum proſequendum, & præſertim neceſſaria ſunt ad auferendam difficultatem naturæ lapſæ, & ad comprimendam appetitus ſenſitivi rebellionem contrà rationem circa opus honeſtum eligendum. At hæc neceſſitas ceſſat in Chriſto, quia Chriſtus non fuit purus viator præſertim quoad affectionem iuſtitiæ, nam ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus, ac in bono confirmatus, & humanitas eius vulnerata non fuit, ſed ſana, & integra; ergo iis auxiliis non indiguit; & ſicut viſio, & fruitio in Beatis ſecum affert vim ſervandi præcepta, & malum vitandi abſque huiuſmodi auxiliis, ita pariter de Chriſto dicendum. Confirmatur, quia auxilium excitantis, & adiuvantis gratiæ peculiariter eſt Viatoribus neceſſarium, ut actus ſint ſupernaturales, quatenus ſunt à principio ſupernaturaliter elevato; At hæc quoque neceſſitas ceſſat in Chriſto, quia ab initio ſuæ conceptionis pleniſſimè fuit Deo coniunctus, ſubſtantialiter quidem per hypoſtaticam unionem, ac etiam accidentaliter per actus beatificos; ergo omnis actus eius remanet perfectiſſimè ſupernaturalis ex parte principii per illos actus beatificos pleniſſimè elevati, eo vel maximè, quia magis ſupernaturales ſunt actus beatifici, quam auxilia actualia excitantis, & adiuvantis gratiæ; & efficaciores ſunt actus ipſi beatifici ad omne bonum volendum, & in bono volito ſemper perſeverandum, quam ſanctæ illuminationes ex parte intellectus, & inſpirationes ex parte voluntatis in Viatore; ergo magis quoque fuerunt ſupernaturales in Chriſto omnes actus eliciti, ex impulſu actus beatifici, quam eliciti à Viatore ex conatu ſanctæ illuminationis, ac inſpirationis, ut rectè Vulpes diſcurrit *loc. cit.* 29

Ex quo patet quid ſit dicendum ad fundamentum opinionis oppoſitæ; quamvis enim verum, ſit unionem hypoſtaticam non potuiſſe ſupplere defectum, quem natura aſſumpta habebat ad efficiendum actum ſupernaturalem, quia unio Verbi per ſe, ac formaliter præcisè terminata eſt ad ſubſiſtendum, & non eſt formale principium, vel ratio efficiendi aliquid; potuit tamen hic defectus ſuppleri ex vi unionis beatificæ, quæ in ordine actus ſecundi, & quod elevationem potentiarum ad operandum maior eſt quàm ipſa unio hypoſtatica, ut ait Doctor *3. diſt. 3. quæſt.* 1. ſpecialius enim, & efficacius movet, excitat, & adiuvat Deus ad benè volendum, ac in bono volito perſeverandum Beatos ſub actibus beatificis, quam Viatores per ſanctas illuminationes, ac inſpirationes: quarè ſicut generatim Beati auxilio gratiæ excitantis, & adiuvantis non indigent ab actibus beatificis diſtinctio ad benè volendum, & in bono volito perſeverandum; idem pariter, vel à fortiori dicendum de Chriſto, qui à ſuæ conceptionis initio pleniſſimè illuminatus fuit ſub actu beatificæ viſionis, ac eius voluntas efficaciſſimè mota, & excitata ſub actu beatifici amoris circa omnia agenda pro implenda Dei voluntate iuxtà illud Ioan. *Ego quę ei ſunt placita, facio ſemper.* 30

Dices

3 Dices, indiguit intellectus animæ Chriſti actuali auxilio ſupernaturali ad videndum Deum initio ſuæ conceptionis, ſimilitèr eius voluntas ad eum amandum ex charitate perfecta, cum huiuſmodi ſint actus ſupernaturales vires naturales eius excedentes; ergo fuit neceſſaria animæ Chriſti etiam ab inſtanti ſuæ conceptionis actualis gratia adiuvans realiter diſtincta ab actibus beatificis ab ipſo tunc attingendis.

Reſpondeo ſi per actualem gratiam adiuvantem intelligatur auxilium ſpeciale per modum concurſus, totum admittitur, ſi intelligatur auxilium aliquod ſpeciale actuale per modum principii, negatur aſſumptum, nam regulariter, & ex communi lege ad habendam præſentiam Dei obiectivam, & ad ſupplendum defectum potentiæ naturalis ſufficit lumen habituale gloriæ, ut dictum eſt *lib. 1. diſp. de Viſione beata*; Et quando etiam totum concederetur argumentum, adhuc nihil contra nos concludit; probaret enim tantum indigentiam talis auxiliis actualis in ipſo conceptionis inſtanti ad habendum actus beatificos; at non probaret, quod iſtis iam elicitis adhuc tali auxilio actuali indigeret ab illis actibus beatificis diſtincto ad vitandum malum, & proſequendum bonum, & in bono volito perſeverandum, ad quos actus nos hic negamus neceſſariam eſſe gratiam aliquam actualem per modum principii ab ipſis actibus beatificis diſtinctam, non autem ad ipſos actus beatificos eliciendos.

32 Concludo itaque nullum aliud auxilium actuale excitantis, & adiuvantis gratiæ fuiſſe homini aſſumpto neceſſarium realiter ab actibus beatificis diſtinctum ad eliciendos actus ſupernaturales vitandi malum, & peroſequendi bonum; Quod ſi per gratiam excitantem, & adiuvantem intelligeremus actus ipſos beatificos, utique in hoc ſenſu aſſeri poteſt habuiſſe gratiam actualem tam excitantem, quàm adiuvantem, nam Chriſtus perfectiſſimè fuit illuminatus per viſionem beatam, & inflammatus per fruitionem, & amorem beatificum; & quod hoc poſſet tam viſio, quàm fruito gratia excitans vocari; ſimiliter gratia adiuvans, ſi ponatur eadem cum divino concurſu, iam ſupra conceſſum eſt animam Chriſti indiguiſſe ſpeciali auxilio per modum concurſus ad ſuos actus ſupernaturales eliciendos; & in hoc ſenſu Pater Bellutus Collega meus *diſp. 10. qu.* 1. in fine aſſervit Chriſtum habuiſſe gratiam actualem tam excitantem, quàm adiuvantem.

QUÆSTIO SECUNDA.

An cauſa impeccabilitatis Chriſti ſit gratia, an gloria, vel potius unio hypoſtatica.

33 Communis Catholicorum ſententia docet Chriſtum Dominum, nec unquam peccaſſe, nec peccare potuiſſe; diſſidium tamen eſt in aſſignanda huius impeccabilitatis radice, ac undè ortum duxerit, an, ſcilicet, ab unione gratuita, & beatifica, an ab hypoſtatica, vel ab omnibus ſimul; Undè quando quæritur an Chriſtus ſit impeccabilis, non eſt diſſidium de re, ſed de cauſa huius impeccabilitatis, nam Doctor in *3. diſt. 2. q. 1. & diſt. 12. qu.* 1. impeccabilitatem Chriſti refert in gloriam, qua Beati de lege ordinaria ſunt impeccabiles, quod 4. *diſt. 49. qu. 6.* refeet in divinam præventionem, quia ab omni peccato præſervantur; Secundò refert in gratiæ plenitudinem, qua Chriſtus confirmatus eſt; ne omninò peccaret. Nec refert cauſam in unionem hypoſtaticam, niſi ut in rationem de congruo, propterquam gratiæ, & gloriæ plenitudo debetur Chriſto, undè conſequenter aſtruit de potentia abſoluta potuiſſe Verbum aſſumere naturam humanam abſque eo, quod concederet ſummam fruitionem, & illam in puris naturalibus relinquere, etiam cum concurſu ad utrumlibet parato, & conſequenter cum potentia proxima ad peccandum, quæ adhuc exire poſſet in actū peccaminoſum. Ex oppoſito omnes Thomiſtæ, ac Recentiores pro radice impeccabilitatis Chriſti utramque aſſignant unionem, ſed præcipuè hypoſtaticam, ad quam dicunt ità neceſſariò conſequi gratiam, & gloriam, ut non potuerit Deus etiam de potentia abſoluta ſtante tali unione ea illi denegare, undè deducunt eſſe ſimpliciter, & abſolutè loquendo incompoſſibilem unionem hypoſtaticam cum aliquo peccato, ac etiam proxima peccandi potentia & hanc proïndè eſſe præcipuam impeccabilitatis Chriſti radicem. Veruntamen plures ex Recentioribus nobiſcum ſentire in puncto principaliori huius quæſtionis oſtendam inferius *n.* 64.

ARTICULUS PRIMUS.

Reſolutio Quæſtionis.

Dicendum eſt impeccabilitatem Chriſti proximè, & formaliter oriri ex viſione beata, radicaliter verò, & remotè ex unione hypoſtatica, quæ veluti connaturaliter exigit, ut detur viſio beata humanitati ipſius, adeoquod ex hac unione eſt impeccabilis, non formaliter, ſed virtualiter diſpoſitivè diſpoſitione remota; Ex quo ſequitur humanitatem Chriſti, licet de facto, & ſecundum potentiam Dei ordinariam peccatum non admiſerit, nec admittere potuerit, non repugnare tamen de potentia abſoluta etiam unione cum Verbo conſtante. Ità Scotus expreſsè *3. diſt. 2. q. 1. § ad argumenta principalia, & diſt. 12. q. 1.* ſequuntur Scotiſtæ omnes, ac Nominales, tam Antiquiores, quàm Iuniores, Rada, Faber, Vulpes, Gallus, Centinus, Poncius, Bellutus, uno Aretino excepto qui Thomiſtarum clamoribus, ac cenſuris perterritus trepidavit timore, ubi non eſt timor, ſiquidem Scoti ſententia; & quoad rem, & quoad modum loquendi recta eſt, & omninò catholica, imò probabilior, & rectior, quàm Thomiſtarum ſententia dicentium humanitatem Chriſti unione cum Verbo conſtante fuiſſe omninò ſimpliciter, & abſolutè impeccabilem, adeout nec de potentia Dei abſoluta peccare potuerit. 34

Primò igitur probo quantum ſpectat ad modum loquendi Scotus, & Scotiſtas in hoc puncto de Chriſti impeccabilitate rectius loqui, quàm Thomiſtæ; quod ita evidenter demonſtro; cùm enim impeccabilitas neget potentiam ad peccandum, aliter de Deo enunciari debet, & aliter de creaturis ut notant Gallus, Faber, & alii Scotiſtæ, & eſt de ſe evidens; cùm Deus ſit naturaliter, & eſſentialiter ipſa ſanctitas, impoſſibile ſimpliciter eſt, ut in eo peccatum reperiatur, ideoque ſimpliciter, & abſolutè impeccabilis dici debet; At verò intellectualis creatura, ſaltem quæ de facto creata eſt, cum ſit ad bonum, & malum vertibilis, ut ait Scotus 2. *diſt. 23. q. unic.* Simpliciter & abſolutè peccabilis dici debet, & eſt communis ſententia Patrum, ita Hieron. tract. de Filio Prodigo dicens *Solus Deus eſt, in quem non poteſt cadere peccatum.* D. Ambroſ. *lib 3. de Spiritu Sancto c.* 19. inquit *omnis creatura peccatorum capacitati obnoxia eſt; Sola autem eſt à peccato immunis & immaculata ſempiterna divinitas.* Ex quo evidenter deducitur, quod ſi peccandi poteſtas à creatura auferatur, vel impediatur; id per aliquod extrinſecum fieri debebit, ac proindè creatura ipſa non ſimpliciter, & abſolutè, ut Deus, ſed ſecundum quid impeccabilis dicetur, ut conceptis verbis dixit Auguſt. contrà Maximum *lib. 3. c. 13. cuique rationali creaturæ præſtatur, ut peccare non poſſit non eſt hoc natura propria, ſed gratia Dei,* quarè ſi voluntas aliqua creata impotentiam ad peccandum habet, hoc utique erit ex aliqua gratia divina, qua remota peccare poterit, & ſic hæc impotentia non eſt abſoluta, & ſimpliciter, ſed tantùm ſecundum quid, & in ſenſu compoſitio, nempè illa gratia ſuppoſita, ergo etiam conſtante unione cum Verbo humanitas Chriſti non debet dici ſimpliciter, & abſolutè impeccabilis, ſed tantùm ſecundum quid, & in ſenſu compoſito, hoc eſt ſuppoſito aliquo extrinſeco, quo poſito impediatur, vel tollatur potentia proxima, quàm natura quæcunque creata ex ſe, & intrinſecè habet ad peccandum. Unde etiam admiſſo, ut Thomiſtæ contendunt, quod unio hypoſtatica ſit prima, & præcipua cauſa impeccabilitatis Chriſti, hæc nunquam aliquid maius inferre poteſt, quàm impeccabilitatem ſecundum potentiam proximam, cum hæc ſit ſumma, & maxima quæ voluntati creatæ competere poſſit, quarè cùm de humanitate Chriſti impeccabilitas pronunciatur, ſemper de impeccabilitate creata intelligi debet, non verò increata, quæ proindè ſolam potentiam proximam ad peccandum excludat, non verò proximam, & remotam, ne impeccabilitatem increatam, quæ ſoli Deo competit, cum creata confundamus; Et quamvis in communi modo loquendi de humanitate Chriſti impeccabilitas enunciari ſoleat ſimpliciter, & ſine addito, aut determinatione aliqua, vel modificatione; quia tamen hæc impeccabilitas ſupponitur eſſe creata, illa determinatio *creata* ſatis oſtendit impeccabilitatem illam non eſſe divinam vel increatam, ac proindè non excludentem omnem peccandi potentiam, ſaltem remotam. 35

Confirmatur, quia impeccabilitas humanitatis Chriſti etiam unione cum Verbo conſtante impeccabilitati Dei æquari non poteſt, quia hæc eſt per naturam, illa per gratiam; ergo non poteſt hæc, & illa eiſdem verbis exprimi; at Deus dicitur ſimpliciter, & abſolutè impeccabilis, nec enim amplioribus verbis ſignificari poteſt divina impeccabilitas, quàm ut ſimpliciter, & abſolutè dicatur impeccabilis, & per quamcunque potentiam; ergo cùm impeccabilitas naturæ aſſumptæ etiam unione cum Verbo conſtante ſit longè inferioris ordinis, non poteſt, nec debet eiſdem verbis ſignificari, ut loquuntur Thomiſtæ, 36